

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Gottfried Heinrich Böttcher


**Specimen Academicvm Qvo Vicissitvdines Ivrис Romani Circa Obligationem Et
Alienationem Fvndi Dotalis Proponvntvr**

Gottingae: Typis Ioann. Christian. Dieterich, MDCCXCVII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691775118>

Druck Freier  Zugang





N.K - 3 (19.)

SPECIMEN ACADEMICVM

QVO

161

VICISSITVDINES

IVRIS ROMANI

CIRCA

OBLIGATIONEM ET ALIENATIONEM

FVNDI DOTALIS

P R O P O N V N T V R

CONSCRIPSIT

GOTTFRIDVS HENR. BOETTCHER.

HANNOVERANVS

L E G V M C V L T O R.

G O T T I N G A E

TYPIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.
MDCCXCVII.

..... haec sunt qualiacunque,
Arridere, velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra.

E dibris
Ferd. Kämmerer, Dr.

V I R O
ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
CONSVLTISSIMO
A ETATE
DIGNITATE HONORIBVS AC MERITIS
ORNATISSIMO
IOANNI STEPHANO
P V T T E R
I. V. D.
MAGNAE BRITANNIAE REGI A CONSILIIS
IVSTITIAE INTIMIS
IVRIS PVBLICI IN ALMA GEORGIA AVGVSTA
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO
REGIAE SCIENTIARVM ACADEMIAE QVAE
BEROLINI FLORET SODALI

HANC

QVALEM CVNQVE OPELLAM.

VTI

INDELIBATAE ERGA EVM PIETATIS

GRATISSIMI QVE ANIMI

PUBLICVM EXSTET DOCUMENTVM

D. D. D.

TANTI NOMINIS

CVITOR OBSERVANTISSIMVS

GOTTFRIDVS HENR. BOETTCHER.

C_{VI} potius offeram has studiorum academicorum primitias, cui commendem primum hoc iuuenilis ingenii periculum, quam TIBI, VIR ILLVSTRISSIME, qui, ex quo PRAECEPTOREM TE venerari contigit, tam singulari erga me usus es humanitate ac beniuolentia, ut omnem pietatis sensum animo exuisse viderer, nisi, iucunda hac occasione mihi oblata, publico monimento apud omnes testatum facerem, arctissimis dulcissimisque vinculis NOMINI TVO ILLVSTRISSIMO me in perpetuum esse obstrictum.

Igitur TE, VIR ILLVSTRISSIME, etiam
atque etiam rogo, vt hunc qualem-
cunque libellum tamquam perpe-
tuae venerationis grataeque volun-
tatis testem, benignus laetusque ex-
cipias, me vero, id quod in magna
felicitatis parte merito reponen-
dum esse, arbitror, patrocinio ho-
norifcentissimo, quo me hucusque
dignatus es, etiam in posterum
tuearis. Quae TE mihi FAVTOREM
dedit et adhuc conservauit, diuina
prouidentia, largiatur TIBI et in
posterum cuncta, quibus vitae hu-
manaee felicitas censemur maxima et
verissima, TEQUE orbi literarum,
quem illustras, Academiae, quam
ornas, amicis, necessariis, clienti-
bus, mihi denique, saluum semper,
sospitem atque incolumem pree-
stet.

Scrib. Gottingae, Cal. April, ccccxcvii.

Vicissitudines iuris Romani circa
obligationem et alienationem fundi
dotalis proponuntur.

§. I.

Instituti ratio.

Cum reipublicae Romanae auctori-
bus et statoribus id praesertim curae
cordique esset, ut augerent multitudi-
neum, ac Romam redderent πολυάρ-
θρωπον a), prudenti consilio, et sin-
gularia dotium priuilegia constituendo,
et rem muliebrem publicae ciuitatis
cūrae subiiciendo, matrimoniorum iu-
ra ad hunc finem accommodarunt.
Igitur ex genuina iuris Romani phi-

A 4 losophia

a) Auctore SOZOMENO I. 9.

losophia PAULLUS iudicat b), reipublicae interesse, vt mulieres dotes saluas haberent. Et POMPONIUS c): *dotium, inquit, caussa semper et ubique prae-*
cipua est: nam, et publice interest, do-
tes mulieribus conseruari, cum, dotatas
esse feminas, ad sobolem procreandam
replendamque liberis ciuitatem, maxi-
me sit necessarium. Atque iterum
PAULLUS d), in ambiguo, pro dotibus
respondere, melius esse, ait.

Quae cum ita se habeant, nemo forte mirabitur, singularia etiam fundi dotalis iura esse introducta, ne mulieres a maritis deciperentur, et indotatae manerent, in maximum sobolis et reipublicae detrimentum.

Quaerenti autem mihi scribendi materiam, cum in eum forte Digestorum locum inciderem, qui de fundo

b) L. 2. D. *de iure dot.*

c) L. 1. D. *sol. matr.*

d) L. 85. D. *de R. I.*

do dotali praecipit, haec iuris Romani doctrina satis digna est visa, de qua paullo curatius ageretur. Itaque apud animum constitui, tam originem eius exponere, quam, quae fuerint incrementa et vicissitudines apud Romanos, vsque ad Iustiniani tempora, breui enarrare.

§. 2.

De lege Iulia, fundi dotalis alienationem et obligationem prohibente.

Quamquam, de fundo dotali alienando tractaturus, initium a lege Iulia capiam, necesse sit, pauca tamen e pristino iure non tam haurienda — id quod ampliores commentarios exigeret — quam delibanda, videntur, ut etiam huic scriptio*n* suus ordo constet. Putauerim, Romanos, ante, quam haec res firmam stabilemque definitiōnem, ex lege Iulia, nancisceretur, incerto magis iure vsos fuisse. Leges enim regiae et Decemuirorum silent

A 5

de

de dote. SERVII SULPICI de dotibus clementatio e), quae in hisce vetustioris aeni tenebris lucem accendere potuisset, periit. Pauca modo tenenda erunt.

Primum quidem, si dotis originem quaeris, eam sane non ab illis temporibus, quibus res Romanorum admodum exiguae erant, repetendam esse, contenderim. Nam tum nihil fere, nisi vestem et vestis sartum, vti PLAUTUS ait, maritis afferebant vxores. Sed, postquam, bellis Punicis feliciter gestis, imperii fines extra Italiam protulerant, diuitiasque inuexerant Romani, cum diuitiis autem luxuriam, matrimoniiorum onera; illecebris opus erat, quibus viri ad nuptias incitarentur. Atque ita, quo commodius sustentari possent res familiares, dotem introductam esse, legimus f).

Cuius

e) Memorata GELLIO N.A. IV. 3. 4.

f) Vt recte monuit WIELINGIUS Lect. iur. civ. II. 23.

Cuius rei necessitas ex lege Voco-
nia *g)* manare videtur. Cum enim
mulieres heredes non fierent, aequum
sane fuit, ut dote instructae e patris
domo exirent, hereditatis paternae non
plane expertes. Ita tandem receptum
est, ut mulieribus et constituerentur
dotes et conseruarentur.

At enim maritis omnia ea asserun-
tur, quae vxor possidet, aut acquirit;
modo in manum conueniat. **VLPIA-**
nus enim h), acquiritur, inquit, nobis
etiam per eas personas, quas in pote-
state, manu, mancipioque tenemus. Cum
autem mulier viro in manum conue-
nit, omnia, quae mulieris fuerunt, viri
sunt, dotis nomine *i).* Ex quo iam
sua

g) Lata A. V. C. 585. cf. BACHII *histor. iur.*
p. 152. secundum ed. nouiss. a Cl. STOCK-
MANNO curatam.

h) *Fragm. XIX. 18.*

i) Cf. CHRIST. *VLR. GRUPEN vxor Romana,*
c. 3.

sua sponte appareat, posse virum alienare res in dotem datas; h. e. dominium earum, iusto titulo, in alios transferre. Cuius vero dominii quae sit natura et indeles, praesertim post Iustiniani tempora in ambiguo fere mansit. Quaestum enim est, vtrum maritus fundum dotalem, cum pleno iure alienandi, acceperit. Respondet BRENCKMANNUS: *potuit olim, vi hu-
iusce dominii fundum dotalem Itali-
cum alienare; in tantum, vt lex Iulia
necessaria fuerit, quae marito fibulam
imponeret.* Quod etiam GALUANUS cal-
culo suo confirmat k).

Ecquid caussae Augustum mouerit,
vt ius mariti limitibus circumscribe-
ret, non difficile est, quaerere. Cum
enim, gestis inter ipsos ciues bellis,
omne nefas irruere et grassari, ita, vt
Romam

k) *De usufructu* p. 266. Ceterum cf. BRENCK-
MANNUS, *heuremat. c. V.* BAUERI *diss. de
marito, fundi dotalis domino.* Lips. 1784.

Romam vnam modo dicere posses cor-
ruptelam; satis quisque intelliget, ma-
ritos in dissipandis vxorum bonis vo-
luptatem quaesiuisse. Ita mulieres, si
non improbitate temporum et luxuria,
bonorum tamen iactura, a matrimo-
nio ineundo absterrebantur. Accessit
ad haec alterum malum, diuortiorum
libertas. Facillime enim fuit marito
improbo, non vxorem, sed bona, cum
scortis perditura, exoptanti, caussam
reperire, ex qua vxorem repelleret,
dote retenta, aut non redditia. Qua-
re Augustus, vt tantum reipublicae
detrimentum emendaret, aut saltem
minueret, Anno V. C. Icccix. le-
gem Iuliam tulit de adulteriis, qua id
praecipue egit, vt nuptiarum tolleret
impedimenta. Quem in finem, vt vi-
ros, qui in alienandis vxorum bonis
nimia vtebantur licentia, coerceret, bene
ac sapienter constituit: NE. MARITVS.
FVNDVM. DOTALEM. ITALICVM.
INVITA.

INVITA. VXORE. ALIENATO. NEVE.

EA. CONSENTIENTE. OBLIGATO.^{l)}

Quod quidem legis Iuliae caput, cum
in hac commentione pro fundamento
sit, breui illustrabo.

§. 3.

*De origine istius capitum disseritur, et sub
examen vocatur eorum opinio, qui, id ex lege
Papia Poppaea repetendum statuunt.*

Lege quadam Iulia istud de fundo
dotali caput contineri, inter omnes con-
stat, neque, ob clarissima, quae in Di-
gestis ^{m)}, Codice, aliisque veteris
memoriae auctoribus reperiuntur, do-
cumenta, erunt, qui negare audeant.
Qua autem lege Iulia hoc constitutum
fuerit, paullo difficilior est quaestio.
Scilicet, alii ex lege Iulia de dulterius
originem deducunt; alii contra legem
Papiam Poppaeam fontem agnoscant.

Quorum

^{l)} BACHII *Hist. iur.* p. 304. ed. STOCKMANNI.

^{m)} v. c. L. 1. L. 4. *de fundo dot.*

Quorum sententias WIELINGIUS n) ita iungit: *caput legis Iuliae*, inquit, *de adulteriis, quo de fundo agitur dotali, viginti quinque post annis legi Papiae insertum esse*, constat: *vnde factum puto, vt caput istud modo Iuliae de adulteriis, modo Papiae Poppaea tributum legamus, vel etiam simpliciter Iulia de fundo dotali, appelletur.* MURETUS quidem, MANUTIUS, et in primis JAC. GOTHOFREDUS illam ipsam sanctionem ex lege Papia Poppaea repetunt; quamvis huic scrupulum iniecerit PAULLUS. Cuius quidem argumenta sub examen vocare liceat: non vt tanto viro, cui omnes solidioris iurisprudentiae cultores adsurgere decet, aliquid detrahant, sed, meam sententiam, ea, qua par est, modestia, dicam. Itaque primum ex fine legis Iuliae, qua Augusto propositum fuit, omnia nuptiarum remouere impedimenta,

n) *Lect. iur. civ. p. 262.*

menta, id patere, ait: cum vidua, aut repudiata mulier nouam nubendi conditionem, sine dote, haud facile inueniret. Sed, cum lex Iulia de adulteriis ante iam esset lata, qua id praesertim agebatur, ut tollerentur nuptiarum, impedimenta; verisimile non est, Augustum intra paucos annos bis idem cauere voluisse. Ut taceam alium legis Papiae finem, de quo HEINECCIUS post GOTTHOFREDUM late exposuit. Ad fundum dotalem quae pertinent, apud virumque legimus quaedam; haec tamen nostrum finem omni modo haud tangere videntur.

Aliud GOTTHOFREDI argumentum petitum est ex MARCIANO CAPELLA, qui o) tunc, inquit, *virginis mater poscit tabulas* (dotales). . . . *Papiam Poppae amque legem sinerent recitari.* Quibus ex verbis colligere studet, lege illa prohibitam esse fundi dotalis alienationem,

o) Sub finem libri II.

nem, quod equidem in his verbis non deprehendi. Quod tertio loco ponit, argumentum, Caio debet *p*); sed ipse mox subuertit, vt adeo tantus vir in hac re sibi parum constare videatur.

§. 4.

Sanctionem de fundo dotali non alienando ex lege Iulia de adulteriis repetendam esse, asserimus.

Igitur nostra eo redit sententia, vt contendamus, prohibitam fundi dotalis alienationem et obligationem ex lege Iulia de adulteriis oriri. Agedum, videamus, quibus argumentis id nitatur. Primus in scenam prodeat PAULLUS, locupletissimus omnino testis, qui *q*) lege *Iulia*, inquit, *de adulteriis cauetur, ne dotale praedium maritus, invita vxore, alienet*. Sollicitare quidem studet

p) In L. 7. D. *de censibus*.

q) *Rec. sent. II. 21.*

studet hunc locum AUGUSTINUS r); sed eius *κριτινόν*, argumentorum expertem, cum OTTONE non amplectendam censeo. Mihi potius vnum hoc PAULLI testimonium omnem eius rei demit scrupulum. Alterum argumentum ex fragminibus veterum ICtorum petitum est. Hi nimirum in commentariis ad legem Iuliam agunt de fundo dotali. Vnde colligit HEINECCIUS s), de fundo dotali in lege Iulia de adulteriis existisse caput. Tandem, si auctoritati summorum virorum aliqua probandi aut saltem persuadendi, vis tribuatur, plerique sane mecum consentiunt. Annunt enim huic, quam proposui sententiae JAC. CUIACIUS, PARD. PRATEIUS, BARN. BRISSONIUS, HEINECCIUS, SCHULTTINGIUS, BACHIUS, aliique. Sed haec de historia. Nunc ipsius legis breuem experiar interpretationem.

§. 5.

r) *De nominibus propriis Pandectarum, ap. Ev. Ottom. in thes. T.I.*

s) *Ad legem Papiam c. 19.*

§. 5.

Explicatur istud legis Iuliae caput.

Quae legis sanctio etsi clara nullaque dubio subiecta sit, breui tamen, quae continet, interpretari conabimur. Lex prohibet, *fundum Italicum alienari, aut obligari.* Fundus autem Italicus non Romae solum, sed intra fines Italiae in omnibus iis locis, qui iure Italico gaudent, querendus est. Legant, quibus id dubium videtur, Digesta, vbi veteres hoc ipsum referunt t). Quae autem fundorum in prouinciis fuerit conditio, quaeri facilius, quam explicari, potest. Plures sententias proposuit REITZIUS u). Cujacius putauit, in prouinciis, ne volente quidem vxore, valuisse alienationem, id quod repetit DIONYSIUS GOTHOFREDUS x). HEINECCIUS negat y),

B 2

tali

t) Cf. Tit. D. *de censibus.*

u) *Ad Theophilum T. I. p. 307.*

x) *Ad Theoph. ap. REITZ. I. c.*

y) *Ad Vinnium, tit. de donationibus.*

tali prohibitione opus fuisse, cum, matrimonio soluto, fundus dotalis a muliere in prouincia vindicari potuerit. Ad quas partes accedit EVERARDUS OTTO z). Mihi vero, nisi quis alius hanc virorum doctissimorum sententiam, aut lege lata, aut indubia ratione, probauerit, placuit JANIA COSTA opinio, ad Institutiones exposita, quam etiam calculo suo confirmat REITZIUS: licuisse nimirum, fundum dotalem in prouinciis alienare, cum in iis lex Iulia non obtinuerit. Subduxit autem rationes in hunc fere modum: *Sequitur necessario, in prouinciis remansisse vetus illud ius, et potuisse prouinciales res dotaes alienare.* Nam, si alienare non potuerunt, meliore conditione fuisse videntur post legem Iuliam prouinciales res, quam res Italicae, et frustra, imo falso, Iustinianus primum auctorem se venditat huius noui remedii,

quo

z) *Praef. ad Thes. iur. Rom. T.V.*

quo mulieribus plenissime cautum efficit, si id ante in prouinciis obtinuit. Audiamus ipsum Iustinianum: *Interrogati sumus, inquit a), si oporteat huiusmodi sanctionem non super Italicis tantummodo fundis, sed etiam in prouincialibus, extendi: placet itaque nobis, eandem obseruationem etiam in prouincialibus extendi.* Etiam THEOPHILUS hoc testatur *b).* Neque mouemur loco nostro per VINNIUM, qui negat, post constitutionem Antonini tale discrimen inter Italiae et prouinciarum fundos statui posse. Nam, etsi ANTONINUS CARACALLA, omnes ingenuos, qui intra fines imperii sedem fixerant, ciues esse iusserit, tamen non aequales reddidit; quod nullo modo tradit historia. Deinde haecce sententia in vniuersum iis premitur diffi-

B 3

culta-

a) L. vn. C. de rei vx. act.

b) Ad tit. Inst. quibus alienare licet, vel non.

cultatibus, quae vix, ac ne vix quidem,
superari posse, censemus.

FVNNDVM DOTALEM eum dici, qui
marito in dotem assertur, manifestum
quidem est; at, quid *fundi* notione
comprehendatur, quaestio exsistit. FLO-
RENTINUS ait *c*), *fundi* appellatione
omne aedificium et omnis ager conti-
~~nent~~^{fuer}. In lege Iulia *fundus* quamvis
rēm immobilem indicat, tam agrūm,
quam aedificium. Quod praeter VL-
PIANUM, qui, ad omne aedificium le-
gem Iuliam pertinere, confirmat, THEO-
PHILUS testatur *d*). NOODTIUS etiam
docuit, exemplisque adductis, proba-

vit

c) L. 13. D. de fundo dotali.

*d) ἀλλ' ὁ μὲν Ιουλίος νόμος τὰ ἀκίνητα, τὰ ἐν
τῇ Ἰταλίᾳ δικαιευέντα, ἐπώλησεν, ὑπὸ τοῦ
αὐτορὸς ἐποιεῖσθαι παρὰ γυνάρχη τῆς γυναι-
κος ὑποτίθεσθαι δὲ ταῦτα ὁ ἀνήρ, οὐδὲ
συναινούσης ἥδηνατο τῆς γυναικὸς. h. e. At
vero, lex Iulia, bona immobilia, in Ita-
lia sita, a viro, praeter vxoris volunta-
tem, alienari, prolibet. Oppignorare
autem ea, ne consentiente quidem uxore,
poterat maritus.*

vit e), legem Iuliam de aedibus quoque explicandam esse. Neque, vtrum totum fundum, an partem modo, marito afferat vxor, interesse videtur. *Dotalis* autem est ille fundus, qui, non aestimatus, datur, ita, vt maritus dominus quidem fiat, fructus percipiendi gratia; naturalis tamen domina habeatur vxor. Hunc enim fundum propriam *dotalis* esse, aestimationem vero emtionis vicem sustinere, quid? quod, veram esse emtionem venditionem, ex multis cum Digestorum, tum Codicis, locis patet f).

INVITA VXORE NE ALIENATO, NEVE,
EA CONSENTIENTE, OBLIGATO, sanciuit
lex. *Alienatio* vero quemuis actum
indicat, quo dominium transfertur g),
ita, vt adeo εμφυτευσεως feudique con-

B 4 stitu-

e) Cf. NOOTR. *Commentarius ad Pandectas.*
tit. de fundo dotali, §. 1. (in Opp. T. II.)

f) cf. L. 10. §. 4. de iure dot. L. vn. §. 15. C.
de rei vx. act.

g) Ex L. 1. C. de fundo dotali.

stitutio hoc verbo comprehendatur. Quae tamen, nisi omnia me fallunt, haud cogitauit Iustinianus, sed inuenierunt ea iurium prudentes atque interpretes. *Obligatio* hoc loco intelligenda videtur de hypotheca et pignore. Itaque alienatio, quae fit consensu vxoris, lege Iulia admittitur, oppignoratio prohibetur: quia nimirum in illa caussa apertum est, vxorem priuari fundo. Quare penes eam est, vtrum consentire velit, nec ne. Ad oppignorationem vero quod attinet, hanc vetuerunt leges, ne consensus vxoris, dum foueret spem, pignus aliquando reluendi, facilius impetraretur *h).*

Interea nihil, memoratu dignum, inde ab Augusto, vsque ad Hadriatum, huic legi fuit adiectum. Atamen ICti in applicandis dotium iuribus eam praeprimis seculi sunt, quod fragmina,

h) Quod post THEOPHILUM animaduertit Ev.
OTTO in praefat. ad T. V. thesauri sui.

fragmina, ex eorum libris reliqua, edocent. Inde quoque totus Digestorum titulus, *de fundo dotali*, manauit, ex quo nunc pauca tantum, eaque leuia, attingere, consilium est.

§. 6.

Legem Iuliam excepit interpretatio prudentum, qua non solum vis et potestas verborum fuit exposita, sed caussae, in primis, sanctione aliqua comprehensae, erutae, luceque affusae. Fines autem, quibus hic libellus est circumscriptus, non admittunt, ut singulas leges, secundum indicem LABITTI apud WIELINGIUM in iurisprudentia restituta persequar. Sed leuius quaedam proponam, in Digestis a veteribus pertractata. Praeceptum illud, in ipsa lege propositum, refert CAIUS i): *legem Iuliam plenius esse accipiendam, ut prohibitio magis ex consilio legisla-*

B 5 toris

i) L. 4. D. *de fundo dot.*

*toris et ratione legis, quam ex stricta
verborum interpretatione, capiatur.*

De marito quidem lex sancit. Id autem ad sponsum esse proferendum, ait CAIUS: dotem enim aut antecedere, aut consequi matrimonium, ideoque tam ante nuptias, quam post eas, dari posse, animaduertit. PAULLUS contra *k*), dote in ante nuptias datam, exspectare earum euentum, contendit. Alienatio vetita est: quae quidem hoc loco latissime patet, ut non solum de ipso fundo, praedioue, sed de iuribus etiam omnibusque accessionibus, intelligatur. PAULLUS quidem *l*) ita scribit: *totiens autem non potest alienari fundus, quotiens mulieri actio de dote competit, aut omni modo competitura est.* Sed contempletur singula! IULIANUS haec habet *m*): *neque seruitutes, fundo debitas*

k) Recept. sentent. II. 21.

l) L. 3. D. de fundo dot.

m) Libro XVI. Digestorum in quem locum refert VLPIANUS. L. 5. D. de fundo dotali.

bitas, potest maritus amittere. Deinde etiam ex mente legis id deriuarunt I^cti, ne fundus dotalis redderetur deterior n). Quam ob rem in eo neque praescriptio valet: lex enim Iulia et ad huiusmodi acquisitionem pertinet. Itaque maritus in culpa esse censetur, si fundum, quem tertius aliquis possidet, mulier autem, tamquam suum, in dotem dedit, haud petiit. Sin vero vel paucissimi dies, ad perficiendam longi temporis praescriptionem superfuerint, nihil erit, quod marito possit imputari o). Quaestionem, an fundus dotalis in vsumfructum dari queat, expонит LEYSERUS p) idque affirmat. Itaque pronuntiatum refert. At enim repugnat L. vlt. C. de rebus alienis non alienandis, repugnat menti et rationi legis

n) De qua causa tractant VLPIANUS, IULIANUS et ALFENUS. in L. 6. 7. 8. de f. dotali.

o) Vti TRYPHONIUS contendit. L. 16. D. de fundo dotali.

p) Med. ad Pandect. Sp. 311.

legis Iuliae, repugnat denique *L. 5. D.*
de fundo dotali, ita, vt mihi potius
in alia quaevis eundum videatur. Loc-
cari autem posse fundum dotalem, aper-
tissimum est. Nam locatio in rebus
alienis quoque obtinet, et marito fa-
cultas, bonis in dotem allatis vtendi
fruendi, nullis limitibus circumscripta,
ex dominio ciuali data est. Quae qui-
dem exempla, de interpretatione pru-
dentum apposita, nunc sufficient.

Alia circa interpretationem legis Iu-
liae disquisitio haec erat, quibus mo-
dis fundus redderetur dotalis. PAUL-
LUS quidem plura, quae ad hunc locum
faciunt, tractat *q*): haec vero non propo-
nam, ne longior fieri videar. Solenne
tamen est, eum fundum reddi dota-
lem, qui ad maritum, mulieris nomine,
quomodo cunque veniat. Idem autem
PAULLUS *r*), fundum, dotali seruo le-
gatum,

q) L. 14. D. de fundo dotali.

r) L. 3. D. eod. tit.

gatum, ad legem Iuliam pertinere, qua-
si dotalem, ait. Quod et de vniuersa
hereditate, a seruo dotali acquisita, di-
xerim. MODESTINUS enim in L. 58. D.
Sol. matr. *seruus dotalis*, inquit, *heres*
ab aliquo institutus, mariti iussu, vel
adire debet hereditatem, vel repudiare.
— Sed cui? Vxori, puto: quoniam
hereditas adita ad fructum non per-
nit: ideoque non marito, sed vxori,
acquiritur, vt adeo dotalis fiat. IULIA-
NUS enim s) negat, aditionem heredi-
tatis esse in opera seruili. Idcirco, si
seruus dotalis adierit, actione de dote
eam hereditatem recuperabit vxor. Cum
autem iussu mariti et periculo here-
ditas adeatur, subtilissimum εὐρημα
suppeditat MODESTINUS u) quod expli-
cauit BRENCKMANNUS x). Quae cum
ita sint, intelligitur, hereditatem, vxori
delatam

s) L. 45. D. *de acquir. l. amitt. hereditate.*

u) L. 58. sol. matr.

x) *Heuremat. c. V.*

delatam, alienari non posse y). Plura exempla, quae in hoc genere ex interpretatione prudentum manarunt, non asseram. Attamen VLPIANUS z) animaduerit, etiamsi alii cuidam, iussu mariti, dos tribuatur, nihilominus maritum de ea obligari. Ex quo loco PAULLUS a) illustrari poterit. Tandem id adeo dotis naturam induit, quod maritus ab vxore, dote euicta, acquiescuit b).

Denique ad interpretationem prudentum spectant ii casus, quibus cessat lex Iulia. Cessat primum quidem, si fundus aestimatus in dotem datur. AFRICANUS ait c): *quod si fundus, in dotem*

y) Ita HOMMEL (*Rhaps.* 278) scribit: propter ea, quod hereditas ad bona immobilia referenda sit.

z) L. 19. D. *de iure dotium.*

a) L. 14. pr. D. *de fundo dotali.*

b) Hoc sane tractat VLPIANUS in L. 16. D. *de iure dotium*, atque inde MARCIANUS (L. 52. eod.) explicandus, ut recte monuit JENSIUS *Strictur. iur. Rom.* p. 170.

c) L. 11. D. *de fundo dotali.*

*dotem datus, aestimatus sit, vt electio
esset mulieris; negavit, alienari fun-
dum posse; quod si arbitrio mariti sit,
contra esse. Cuius autem sit electio,
nulla stipulatione, nulloque pacto in-
terposito, quaeris. Imperator ALEXAN-
DER A. STATIAE ita rescribit d): quo-
tiens res aestimatae in dotem dantur,
maritus, dominium consecutus, summae
velut pretii debitor efficitur. Si ita-
que non conuenit, VT SOLVTO MATRI-
MONIO, RESTITVERENTVR, et iure
aestimatae sunt; retinebit eas, si pe-
cuniam tibi offerat. Itaque, si prae-
dia aestimata in dotem dantur, et con-
venit, vt mulieri electio seruetur, lex
Iulia locum habet.*

Dein cessat lex Iulia, si alienatio
non est voluntaria. Quae autem haec
sit, quaeritur. Eam intelligo, quae
ex legis necessitate sit, ita, vt ne ab
ipsa quidem muliere prohiberi queat.

PAVL.

d) L. 5. D. de iure dot.

PAULLUS e) huc refert casum, si ob id, quod maritus damni infecti non cauebat, missus sit vicinus in possessionem dotalis praedii, deinde iussus sit, possidere. GORDIANUS maritis, negat, datum esse iudicium communis diuidendo, licet ipsi possent prouocari. An et praeter necessitatem, legibus impositam, ea, quae ex facto mulieris, dotemue constituentis, oritur, caussam alienandi praebeat, quaestio est: e.g. si aes alienum vxoris, cuius nomine fundus dotalis obligatus est, aut fames, aliae calamitas, vrgeat. — Cessare legem Iuliam et ob necessitatem facti, puto, cum res alienae, quorum alienatio alioquin prohibita est, ex his ipsis caassis alienentur. In quo quidem genere similitudinem praediorum pupillarium et dotalium, animaduertit CUIACIUS f).

Vete-

e) L. 1. de fundo dotali.

f) Obseruat. VII. 23.

Veteribus tamen in his non tam alienatio, quam dotis restitutio, perdu- rante matrimonio, necessaria visa est. Quod et PAULLO g) probatur, vt adeo eiusmodi alienatio magis voluntaria sit putanda.

Tum vero cessat lex Iulia, si alie- natio in vtilitatem vxoris fit, ita, vt fundus dotalis aut permuteatur cum meliore, aut fructuosior retineatur et comparetur. Quod si fuerit factum, is fundus eae res dotalis efficitur h).

Tandem etiam fieri potest, vt ces- set lex Iulia in singulis caussis, quae subinde in Digestis commemorantur i). Quas tamen omittemus, ne diutius, quam par est, in amoenis Digestorum campis exspatiari videamur.

§. 7.

g) L. 73. D. *de iure dot.*

h) Id quod ex L. 26. 27. 85. D. *de fundo do- tali* patet.

i) Scilicet in L. 9. 17. D. *de fundo dot.*

C

§. 7.

de constitutionibus principum, in primis Iustiniani, quae ad legem Iuliam pertinent.

Ex sacris Imperatorum legibus notabimus quasdam, quae ad legem Iuliam accesserunt. In vniuersum quidem paucissimae sunt, quibus aliquid noui continetur, constitutiones. Quasdam tamen delibabimus.

SEVERUS et ANTONINUS AA. *k)* circa euictionem dotis memorabilem fecerunt distinctionem inter dotem aestimatam et non aestimatam, ut, si nulla pollicitatio per eum, qui dotem dederit, facta fuerit, post euictionem dotis aestimatae emti actionem institueret maritus; at, dote inaestimata euicta, omni priuaretur agendi iure maritus: nisi dolo res aliena in dotem esset data. Quod discrimin *lege vn. D. de rei vxor. act. abrogatum esse, non contenderim.* Alienationem fundi dotalis, constante

k) L. i. C. de iure dotium.

constante matrimonio, sine caussa legitima, ne in vxorem quidem fieri posse, statuunt HONORIUS et THEODOSIUS AA. Cum, eadem vxore defuncta, ab eius heredibus, cum fructibus, inde a die, quo ipse dotem redditum, marito restituatur, ita, ut proprietas eiusdem, liberis, ex illa susceptis, tributa, alienari contra leges a marito nequeat *l.*

Sed, properemus ad IUSTINIANUM nostrum, qui tam multa in vtilitatem feminarum constituit, iuraque dotium et firmauit et auxit. Non quidem omnia, quae saluberrime praecepit, ad nostrum caput pertinent, sed ea tantum, quae de fundo dotali alienando circa legem Iuliam edixit. Sequitur mentem legis Iuliae; recte existimat, interesse reipublicae, ut dotes conserventur

C 2

ventur

- l)* Quae quidem sanctio etiam in L. 3. C. Th.
de dotibus continetur, quam enucleauit
GOTHOFREDUS.

ventur *m*). Duo in primis addidit legi Iuliae Imperator. Primum quidem eius legis sanctionem ad fundos prouinciales extendit, vt omnes omnino lege Iulia aestimarentur. Deinde autem legi obrogauit, sanciendo, ne fundus dotalis, etiam consentiente muliere, alienaretur *n*). Plura quidem alia IUSTINIANUS in fauorem mulierum constituit, quae, quia fines libelli academici excedere nolim, haud tangam. BALDUINUS *o*) enim et RITTERSHUSIUS *p*) horum iurium inierunt rationes. Pauca modo, quae ad rem nostram spectant, persequar. Iustinianus, vt stabilem redderet mulieribus securitatem, prohibuit,

m) cf. Nov. 97.

n) *pr. I. q. alienare lic. l. non.* Quae constitutio *L. vn. §. 15. C. de rei vx. act.* complexa est. Reliqua autem, hac lege non correcta, *§. 16. Inst. l. c. IUSTINIANUS confirmavit.*

*o) De iure novo, ap. HEINECCIU*m* iurispr. R. et A. T.I.*

p) Iure Iust. P.V.

buit etiam, res immobiles, vinculo donationis propter nuptias constrictas, alienare *r*), aut hypothecae obligare, adeo, ut, quamuis consensus vxoris accederet, alienatio nulla esset. Vnam tamen subiunxit exceptionem. Scilicet, alienationem valere iussit, si vxor consensum, ab initio datum, biennio elapso, confirmaret. Id quod exemplo intercessionis, repetito post biennium consensu, valentis, probatur *s*). Ambigua vero multumque agitata quaestio est, an alienatio dotis, volente vxore facta, repetito post biennium consensu, valide fiat. Imperator enim ait *t*): *Et haec dicimus, non solum parcentes mulieribus, sed multo potius viris, talia facientibus: siquidem et multis, et paene pluribus casibus filii antenuptialis donationis seruantur res et rursus hae remanent apud substantiam viri eiusque successionem, ex hac obseruatione: ideoque utilis est lex vxori et marito, secundum has ratiocinationes. Et multo potius haec in dote valebunt, si quid dotis, aut alienetur, aut supponatur:*

C 3

iam

r) Nov. 61.

s) L. 12. C. ad SC. Vell.

t) Nov. 61. §. 3. secundum versionem HOMBERGK ZU VACH.

iam enim haec sufficienter delimitata atque sancita sunt. Negant multi, hanc clausulam pertinere ad alienationem fundi dotalis. Alii contra, ex quibus RITTERSHUSIUS *u*) et LEYSERUS *v*) in memoriam succurrunt, totius legis sanctionem ad dolum esse proferendam, contendunt. Liceat mihi, miscellionis instar, utriusque scholae iungere sententiam.

Primum Iustinianus, in constituendis dotium iuribus distinguit inter fundum aestimatum et inaestimatum *w*). Se autem nihil noui circa dotem introducere, ultimis Nouellae verbis indicat. Igitur patet, ex iuribus, antea conditis, Novellae isti lucem affundi. Quare in fundo non aestimato, interposito ac repetito post biennium vxoris consensu, valere alienationem, nego. Namque eiusmodi alienationem omnino prohibuit Iustinianus, ideoque singularem sibi gloriam tribuit, quam quidem noua aliqua lege euertere voluisse, vix crediderim. Si enim consensus,

post

u) Iure Iust.

v) Med. ad Pandect. Sp. 311.

w) L. 30. C. de iure dot. L. vn. §. 15. C. de rei vx. act.

post biennium repetitus, alienationem fundi dotalis reddit validam, non emenda, sed solennitate modo aucta est lex Iulia. Tantam iurum, ab eodem legislatore constitutorum mutationem verbis clarioribus fieri oportet. Dotem aestimatam, quae in dominium et periculum mariti transit, etiam sine vxoris consensu alienari posse, supra dixinus. Minime autem necesse est, ut iterum assentiat vxor, ut potius, illam de consensu, post biennium repetendo, legem donationem propter nuptias, non vero dotem, concernere putauerim. Qua de caussa nego, ex consensu vxoris umquam fundi dotalis procedere alienationem. Itaque permissa est donationis propter nuptias alienatio, ex consensu vxoris, post biennium iterum interposito. Permissa est ex iure, iam antea constituto fundi *aestimati* alienatio, non inaestimati. Iusrianus deinde sanciuit, ut ne ex repetito quidem consensu valeret, si nihil aliud superesset, quod ad quantitatem donationis propter nuptias sufficeret. Scribit legislator, dotem aestimatam alienari posse a marito; at, monet tamen, vindicationem et hypothecariam actionem

nem eius rei caussa tributam esse α), idque multo magis in dote valere γ). Sermonem intendi et plus complecti, quam antea positum legitur, accurata verborum interpretatio docet. Itaque contendeo, non solum licere vxori, vendito fundo eoque aestimato, repetere rem suam; sed plus iuris ei tribui (ex L. 30. C. de *iure dotium*), ita, ut dotem venditam, matrimonio dissoluto, contra quemcunque, nulla cautione adhibita, persequi queat.

Quibus rite perspectis, facile quisque intelliget, Iustiniani sententiam, ut sibi constet, ex iis, quibus ipse usus est, verbis, fieri perspicuum. Atque, eadem medela adhibita, *IVLIANVS z)*, a multis, iisque consultissimis viris vexatus, explicabitur.


Sed, iam manum de tabula! Quod si haec qualiscunque scriptiuncula Viris doctissimis, quorum iudicio submittenda est, non plane displicerit, eo maiori studio, ut, dum crescent vires vna cum aetate, meliora aliquando et maturiora proferam, elaborabo.

α) L. 30. C. de *iure dot.*

γ) *ναὶ πολλῷ μᾶλλον ταῦτα ἐπὶ τῆς προπάτριας πρατεῖν.*

z) In *epit. nouell. const. LI.*

7.11.14.16.21.29.59.



primis addidit legi
imum quidem eius
fundos prouincia-
nes omnino lege

Deinde autem
iendo, ne fundus
iente muliere, alie-
nudem alia IUSTI-
mulierum consti-
s libelli academici
ud tangam. BAL-
RITTERSHUSIUS p)
nt rationes. Pauca
nostram spectant,
s, vt stabilem red-
curitatem, prohi-
buit,

m) cf. N.
n) pr. I.
stitut
compl
non c
confir
o) De iur
et A.
p) Iure I

l. non. Quae con-
C. de rei vx. act.

qua autem, hac lege
Inst. l.c. IUSTINIANUS

INECCIUM iurispr. R.

ventur n
Iuliae In
legis san
les exter
Iulia ae
legi obre
dotalis, et
naretur n
NIANUS
tuit, qua
excedere
DUINUS
horum in
modo, q
persequa
deret mu

m) cf. N.
n) pr. I.
stitut
compl
non c
confir
o) De iur
et A.
p) Iure I

306

D5 16000

u3

Rostock

the scale towards doc

